



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

Parisiis, 1644

XIX. De clandestina desponsatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15490

ANNO
 CHRISTI
 1440.

iuris communis pœnas in libra ceræ eidem eccle-
 siæ soluenda & applicanda puniatur. Et si per eius
 pigritiam aliquod nefandum inde contigerit, eiuf-
 modi subiaceat vltioni iuxta nostram aut vicarii
 nostri ordinationem & delicti quantitatem. Sacra-
 mentum etiam eucharistiæ singulis mensibus ad
 minus semel renouari præcipimus, aut pluries se-
 cundum locorum exigentiam & opportunitatem.

In plerisque etiam ecclesiis mappæ, pallæ, cor-
 poralia, & alia vestimenta diuino cultui deputata
 tam inculta & immunda relinquunt, quod inter-
 dum quibusdam sunt horrore, contra statutum
 Concilii generalis, vniuersis custodibus, sacristis, &
 ecclesiarum rectoribus districte præcipimus, qua-
 tenus omnia vestimenta, ornamenta ac vasa supra
 dicta per ipsos munda & nitida conseruentur; cor-
 poraliaque pluries infra annum iuxta casus exigen-
 tiam per clericos mudentur. Si quis vero in trans-
 gressione huiusmodi statuti culpabilis fuerit, vsque
 ad condignam satisfactionem ab officio suspen-
 datur.

XIX.

Statuimus & præcipimus vniuersis Christi fide-
 libus nostræ diœcesis, vtriusque sexus, ne quisquam
 eorum clandestinis desponsationibus aut occultis
 matrimoniis intersit. Præcipimus insuper in virtu-
 te sanctæ obedientiæ vniuersis ecclesiarum pleba-
 nis, quod postquam ipsis constiterit, pro certo, vel
 probabili fama, aliquos clandestine contraxisse,
 ipsos statim ad publicandum in facie ecclesiæ aut
 iura sua prosequendum coram ecclesiastico iudice

per subtractionem sacramentorum , extra tamen necessitatis articulum cogere non postponant.

ANNO
CHRISTI
1440.

X X.

Districte præcipiendo interdiciamus , ne quisquam sacerdotum pro reconciliatione poenitentium , aut pro administratione alicuius sacramenti , vel aliquorum sacramentalium , paciscatur de sibi danda pecunia , nec aliquo alio æquivalenti pro eadem. Sed volumus dispositis absque dilatione pro tempore & loco congruis administrari & exhiberi secundum ritum ecclesiæ verum , quod rationis & iuris explorati existit , quod socii passionum sint pariter , & socii consolationum , permittimus expositi exigi etiam cum imploratione officii iudicis quantitatem in talibus consuetudine debitam , ad quam laicos hortamur , & quantum de iure est astringimus & compelli volumus.

Item inhibemus sub poena priuationis officii , ne aliquis sacerdotum quemquam notorie delinquentem accepta pecunia vel alio commodo temporali poena condigna corrigere prætermittat.

Item interdiciamus & districte inhibemus , ne quisquam clericorum , cuiuscumque status fuerit , censum de aliquo beneficio , aut pecuniam vel emolumentum aliud , ex pacto quocumque nomine anticipandæ pensionis , vel alio quocumque quæsito colore , augeat , vel quemquam augere compellat. Contra facientes , tam dantes quam recipientes , duplum quam dederint vel receperint nobis irremissibiliter soluere teneantur , nihilo minus iuxta arbitrium nostrum aut vicarii nostri arctius punientur.

Item